

Franckesche Stiftungen zu Halle

Momentum Præceptorum Præcipuum, Quid in Recta Liberorum Institutione Potissimum sit curandum, In Ipsa Introductionis Solennitate Rectoris, ...

Franck, David

Neo-Ruppini, [1712?]

VD18 90820754

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-202405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-202405)



63. B. 8.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.

90.
82.
83

MOMENTUM
PRÆCEPTORUM
PRÆCIPUUM,

Quid in.

RECTA LIBERORUM INSTITUTIONE

Potissimum sit curandum,

In Ipsa.

INTRODUCTIONIS SOLENNITATE
RECTORIS, CON-RECTORIS

Et.

SUB-RECTORIS,
PLACIDO EXAMINI SUBJECTUM.

Ad quem Actum *rite* celebrandum
PATRONOS, FAUTORES, AMICOS,
REI LITERARIÆ WITTSTOCHIENSIS
NUTRITORES ET AMATORES,

Eo quo decet, officio & humanitate,

Rogat & invitat

DAVID FRANCKE,

Hactenus

Con-R. *nunc* Rector vocatus.

NEO-RUPPINI, Typis WENDELINI MULLERI.

562

X 21. 11. 1810.



Gratiam, Pacem, Amorem & Veri-
tatem Lectori candido precatur

à Deo Patre nostro per Dominum Jesum Christum
in cognitione Spiritus S. efficacissima!



Celeratos mortalium mores
æque ac errores communes, in
ipsa Ecclesia Christi longe late-
que diffusos, secum commen-
tans atque expendens, non
potest, quin adeo *deploratum*
statum lacrymis acerbissimis de-
flect, simulque anxius teneatur,
quænam tantæ cladis Christia-
næ *causa* subsit, ut paucissimi

ad partes officiorum suorum diligenter obeundas, &
fideliter administrandas, animum attendant, non me-
mores, quanta bona Deus cujusvis fidei contulerit, &
ab incunabulis quidem concesserit? Si qua in promptu
est, *non est minima*, quod in formanda prima pariter ac
provehore ætate *Intellectum* magis ut plurimum, quam
Voluntatem curemus.

Deo, cæli terræque Conditori, visum est, homini
creando maximas assignare dotes, ex quibus justus ac
genuinus cultus in suam ipsiusmet gloriam enalci
posset.

posset. In his præcipue *Intellectus & Voluntas* eximie eluxerunt. Utriusque actiones inter se ita cohærent, ut in ipso opere producendo secundum nostrum concipiendi modum cujusvis operatio ab altera *distincte* *sejungi & concipi nequeat*. Nam Intellectus noster ita est comparatus, ut, simulac Voluntati quippiam objicit, Voluntas illud eodem temporis momento arripiat, aut rejiciens, aut probans & exequens: Similiter quando Voluntas aliquid appetit, idem ille actus non sine ministerio Intellectus consummari potest. Ut rem in pauca conferam, nulla actio, qualiscunque demum sit, citra has duas facultates oritur, procedit & perficitur: tantum enim abest, ut una sine altera quicquam effectum dare, ut ne primos quidem motus propter arctissimam & mutuam conjunctionem indissolubilem ciere valeat. Si quis vero contenderet: Nihil obstare, quo minus solus Intellectus, Voluntate non simul operante, res formet ac procreet, id idem esset, ac si homines tam ab uno, quam duobus conjugii membris, quod est institutum divinum, generari posse affirmaret. Eo igitur felicitas hominum nititur primaria, ut *Intellectu sano, ac Voluntate recta* polleant, ex quarum mutuo amplexu omnes actiones, ut ex insensibili toro & subtilissimo conjugio exsurgunt & prodeunt. Quantopere autem harum *facultatum integritas ac excellentia*, quas inprimis indita a Deo imago permeans evehebat, in paradiso coruscaverit, cum, utraque suis gauderet commodis, captum nostrum & magnitudine sua & magnificentia excedit. Quo factum est, ut quoad Dei Lux & Sanctitas hominem direxit, omnes actiones in æqua lance ac ordine justo versarentur, & suo pondere librarentur: peccati vero fœ-

ditate admissa tanta *confusio* in Intellectu & Voluntate, atque perturbatio, non minus tristis quam horribilis extitit, ut, quæ facultates antehac erant ordinatissimæ, nunc maxime *deviæ* oberrent. Hic est fons malorum, qui efficit, ut Intellectus tenebris obsitus, neque dona accepta, neque officia Creatori suo ac Defensori debita agnoscat, imo stultitiam reputet. Quid? quod Voluntas tam præfracta est libidinis, ut primum repugnet, deinde Deum regentem & corrigentem aversando cor obfirmatum reddat.

Facultas igitur cum utraque sit *in Statu perditissimo*, & neutra Dei, antistitis sui iussa, sponte, decenter & ex æquo præstet, non alienum videtur docere, *quænam harum primum & potissimum corripienda sit & frangenda?* Sacrae quas delectant literæ, & in saniorum ethnicorum scriptis non sunt hospites, ferent facile responsum: Voluntas. Verum regerat quispiam: ab Intellectu potius esse exordiendum, quod ut vulgo dici solet: Ignoti nulla sit cupido? Sed, mi Veritatis indagator, nisi duo hic præsertim notaveris, quæ rem præsentem faciunt planam, semper tua hallucinabitur & falletur opinio. Primum liberrime profiteamur, scientiis omni-que literarum genere excolere animum quemvis decere hominem. Quis enim sanæ mentis esset, qui in cognitione rerum multifaria progressus faciendos negaret? Sed, cum de re proposita disceptatur, tantum id volumus, justam plerosque methodum in hoc circulo non tenere: imo ut expressius dicam, officii sui rationes plurimos ordine plane inverso, non sine multorum juvenum detrimento peragere, dum innumeras ideas & nudas speculationes sine usu & fructu, sine consilio maturo in memoriam infundunt; contra

ea

ea emendationem cordis frigide, quasi rem minimi momenti, tractant, perinte ac si Summum Bonum ab ingenii cultura unice dependeat. Paulus de illis *Semper, inquit, discunt, nunquam tamen ad cognitionem Veritatis perveniunt* 2. Tim. 3. 7. Idem accidit multis, qui salutantur doctissimi, vocantur excellentissimi, appellitantur consummatissimi, & sunt talpa ceciores, teruncio viliores & barbaro stupidiore. Quod *Apologia A. C. p. m. 59.* confirmat, declarans: *Mundum esse plenum blasphemis contra Deum, & impiis opinionibus, & his vinculis habere diabolum irretitos, SAPIENTES & JUSTOS coram mundo.* Ad hoc accedit alterum, quod cujusvis cogitatione consulto subjicimus, annon jam natura quædam cognitio de Deo ac rebus divinis (quam Theologi rudera amissæ imaginis divinæ dictitant,) cum egregia atque eximia facultate intelligendi & judicandi, quæ sunt dona Dei, hominum animis insita sit, qua ad artes maximas apti sunt, consiliique pleni. Contra si Voluntatis vires exactius ponderamus, quis est, qui neget, omnes omnino esse extinctas, adeo, ut non tanto in Deum feramur desiderio, quanto lumine Intellectus in eo, quod de Deo cognosci potest, (τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ φανερόν ἐστὶν ἐν αὐτοῖς Rom. 1. v. 19.) illustratus apparet. Quæ sane meditatio non parum probat, Voluntatem tanto magis disperdidisse possessiones suas quam Intellectum, ut ea ipsa majori nixu reprimenda sit ac refrenanda. Neque vero hoc *sine judiciis divinis!* Nam postquam Satanas Adami Voluntatem prius, quam Intellectum, in suum pertraxerat consensum, ut Theologi doctissimi ex Sacro Codice evincunt, ea mutatio in contrarium est facta, ut Voluntas majore pœna jam colluctetur spiritali. Quo fit, ut renovando ho-

mini medicantes, nisi res spirituales magis ad Voluntatis intemperiem, quam Intellectus obscuracionem tollendam attemperent, nihilo plus agant, quam si adversus stimulum calcitrent, aut laterem lavent. Absit igitur, ut spurium vitæ reformandæ processum suadeamus aut eligamus. In capiendis enim & instillandis scientiis, si quis satis tectum se arbitratur, quando cognitionem amplectitur, cognitio sine prævia affectuum restitutione, tanquam vitiorum vorago ita, constringit cordis nostri ima ac obsidet, ut nihil magis impediatur ac remoretur in pietate profectum, quam eruditio ipsa exquisitissima. Quod *S. Augustinus* suo cum periculo gravissimo præ cæteris didicit, ut ex tribus & decem libris *Confessionum* apparet, in quibus de institutione adolescentum præposterata, nunquam satis deploranda jure conqueritur, quæ obstitisset, quo minus celerius ad frugem rediisset. Possemus ex eis complura proferre testimonia, sed duobus erimus contenti, ex quibus facile conjici poterit, quæ cum animi agri-
monia in rudis ætatis suæ formatores invectus fuerit. Extant verba priora l. i. c. 18. ubi; quid, inquit, mirum, quod in vanitates ita ferebar & a Te, Deus meus, ibam foras: Quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta sua non mala, si cum barbarismo aut solacismo enunciarent, reprehensi confundebantur? Si autem libidines suas, integris & rite consequentibus verbis copiose ornatæque narrarent, laudari gloriabantur? Vides hæc, Domine, & taces longanimis, & multum misericors & verax. Numquid semper tacebis? & nunc eruis de hoc immanissimo profundo animam, te querentem & sitientem delectationes tuas: & cujus cor dicit tibi: quæsi vultum tuum, vultum tuum Domine, requiram, nam longe a vultu tuo ieram IN
AFFECTU

AFFECTU TENEBROSO, Non minoris ponderis leguntur sequenti capite 19. ubi sic ait: *Horum morum ego puer in limine jacebam miser, & hujus atene palaestra erat illa: ubi magis timebam barbarismum facere, quam cadere, si facerem, non facientibus hac invidere.* Dico hac, & confiteor tibi, Deus meus, in quibus laudabar ab eis, quibus placere, tunc erat mihi honeste vivere, non enim videbam voraginem turpitudinis, in quam projectus eram ab oculis tuis.

Non abi rei faciemus, si jam gentiliū saniorū instituta lustraverimus, ut innotescat, quānam de naturali hominis conditione investigaverint. *Pythagoras* sit primus, qui quinquennali suo silentio, omnibus suffragantibus, ut maxime voluit, ut discipulos suos non minus moratos, quam doctos redderet. Huic sunt proximi *Platonici*, qui in praeceptis Philosophiae tradendis prius de virtutibus, quam de exemplaribus purgati animi sapienter egerunt, & recte parendi & obsequendi facultate tanquam a fundamento totius virtutis esse incipiendum, existimantes. Cujus rei est quoque, *Stoicis* propria laus. Quis enim est, in cujus notitiam non pervenit solida illorum tractatio, qua in philosophia tradenda ita desudarunt, ut in compescendis atque corrigendis affectibus primariam infumerent, operam. Quid? quod Summum Bonum in vita, rectae rationi conveniente, unice posuerunt. Quae jam omnium oculis subjicimus, in animum eo celerius inducentur, si *Platonis* praecepta de *Dialectices* studio candide & citra praejudicium imbibimus. Is cum vereretur, ne eo homines *Philosophici* & contentiosi surgerent, edicto scholastico vetuit, ne ante annum aetatis trigessimum labor in hac disciplina collocaretur. Idem *Homerum*, omnium poetarum patrem, scholae suae finibus

exulare jussit, hac sola ratione, quod a vero & legitimo Deorum immortalium cultu, & a republica bene tractanda homines abalienaret. Quæ abunde testantur, quam provida cura & sapienti moderatione Philosophi veteres adolescentulorum formarint linguam, ac de doctrinis & scientiis præcepturi, semper Voluntatem prius emendandam, quam Intellectum respexerint.

Hæc sunt, quæ sententiam nostram ex scriptis ethnicorum certam reddunt: Si qua adhuc sunt minus perspecta, ea *Sacer Codex* in scrinio pectoris nostri planissime transiget, omnem dubitationem expulsurus & exempturus ejus lectione sedula gaudentibus. Sunt autem plurima loca, nobis suffragantia: sed modus adhibendus est, nequis me justo longiorem esse dictitet. Sunt igitur satis duo insigniora. Primum *Proverbia Salomonis*, clavem totius rei clarissimam, singulis summopere commendamus, in quibus ne unicum quidem deprehendemus versiculum, qui non largissimam argumentorum segetem suppeditet. Sufficiat locum, omnibus obvium, produxisse: *Initium Sapientie Timor Domini*. Quid in hoc effato initium & fundamentum veræ scientiæ & sapientiæ a Rege omnium sapientissimo prædicatur: nonne Timor Domini? Quo sole clarius nos convincit, non a scientiæ cujusdam specimine, sed ab interno amoris & conscientiæ principio ad præstanda Dei officia nos primum moveri & concitari. Huic adjungimus *S. Apostolum Paulum*, qui Parentibus, ac ita omnibus Præceptoribus leges publicas sanxit, quæ recta sit institutio & emendatio, qua puerorum ingenia felicitur formantur. Ephes. 6. v. 4. *Parentes, inquit, educate liberos vestros, in Christi nomine*, i. e. enutrite

trite liberos vestros spiritali victu atque veritatis alimento. Sed quomodo? initio in disciplina παιδεία, tum etiam in adhortatione, ὑποδείξις. Quid, fodes Apostolus hoc sibi vult? *Interpres Syriacus*, uti constat, cum felicissimus tum probatissimus, utitur duabus vocibus, notatu dignissimis, quarum prior ab hebraico verbo יָרַד h. e. *subjecit, subegit, dominatus est*; posterior vero ab יָרַד *studuit, didicit, descendit*. Quem positum ordinem si resolvimus, non alius nisi iste resultat, videlicet, ut aberrantem & fluctuantem animum primum corrigamus, deinde instruamus; ac si diceret: Vos Parentes, educate liberos vestros in disciplina accommodata, corrigendo Voluntatem, tum in doctrinis necessariis, excolendo Intellectum: & quidem τὸ κυρίως, i. e. Christi communio sit Parentum, sit Præceptorum in ipsa informatione finis unicus, finis totus, ut ad illius exemplum liberi, laudatis imbuti virtutibus, Dei ac Domini Jesu Christi servi, non autem Diaboli, mundi ac indolis suæ pravæ mancipia fiant. Exempli loco *Jesus Siracides* nobis viam præmonstret, qua methodo in ediscendis mysteriis divinis ineunte adolescentia usus sit. Consultum autem ducimus, ut unusquisque ipsum evolvat librum, ac ultimum inprimis, nimirum 51. caput à 18. usque ad 28. v. penitus intueatur, tunc in re seipsum versari credet proposita. Finem hic argumento imponeremus nostro, nisi de testimoniis, quæ ad rem præsentem illustrandam valde conducunt, adhuc duo interferenda essent. Non autem quicquam occurrit luculentius, aut scopo

nostro commodius, dictis *Ennodii Christiani*, & *Aristotelis*, Philosophi ethnici. Ille *libr. 5. epistol. 10.* *Sancta sunt, inquit, studia literarum, in quibus ante incrementa pueritia vitia dediscuntur. Hoc itinere cana ad annos pueriles solent venire consilia: dum, quod etas refugit, norunt instituta prestare.* Hic ex moribus infantum observat, nobis prius inesse affectum, quam rationem, prius perfectam Voluntatis quam Mentis operationem. *Causa hujus mali & origo ethnicum fugit: nos vero Christiani, sacras literas edocti, citra omnem controversiam toto die animadvertimus, in primis infantiae annis nos magis Voluntate, quam Intellectu in plura vitiorum genera incurrere.*

Falleris itaque, Veri Studiose, si de *nibilo* hanc quaestionem putes: quænam affectio prius sit *corrigenda & emendanda*, Intellectus an Voluntatis? Quod si corruptæ naturæ consilium sequaris, in promptu est responsio: Intellectus. Est enim ea indole, quo plus intelligit, eo plus scire cupit, more avarorum: *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aqua.* Nemo autem secum cogitat, hoc scire tam insatiabile, tam avidum, obrationem olim reddendam, potius esse calamitati & perniciiei, quam fore, ut iudex olim tremendus & reverendus ob concredita bona profusa mitigetur. Nonnulli quidem putant, jam tum omnia esse salva, dummodo haustam doctrinam cupide arripiant, & concinne ac ornate enunciare valeant. At vero, quamvis non alia subesset ratio præter adductas, sane *quotidiana experientia* obstaret. In doctos nostros oculos defigamus intentos,

intentos, quorum eruditio summum ascendit fastigium: Unde proficiscitur, ut multi doctrina quidem politissimi, sed pietate & vera sapientia conspicui reperiantur paucissimi? Næ, si cum quibusdam animi sententiam ad conscientiae normam exponere nobis liceat, originem omnis corruptionis in eo ponimus, quod plerisque magis cultura *Intellectus*, quam *Voluntatis* curæ, cordique sit. Hinc lacrymæ! hinc sordes animæ sordidissimæ immanentes! Hæ effecerunt, ut perversissimi omnium ætatum mores non minus ac diluvium in omne vitæ genus irreperint. Videmus enim homines ex educatione tali non meliores, sed deteriores factos, non emendatos, sed depravatos. Nam quemadmodum in Christianismo fieri solet, quo plus pecco, eo inhabilior ad resipiscendum constituor: ita, quanto plus eruditionis imbibō, neglecta cordis emendatione, vetus Adam eo plus pabuli ac materiæ invenit superbiendi, cristas altius erigendi, ac cum contentu aliorum se ac suamet jactandi, & quicquid fraudum ac stropharum præterea naturæ falsitas Protei more exserit, iisque pro re nata nubem noctemque objicit. Et profecto, quo diutius huic Sirenio cantui indulgeo, eo magis officiorum, Deo juxta ac hominibus debitorum, observationem susque deque habeo. Ex adverso cujus cognitio in ipsa instructione præcipue ad Voluntatem deflectitur, illa postmodum eo curatius precibus ac sanctis meditationibus perficitur. Quicquid docetur, non eum in finem collineat, ut pecunia coacervetur, honor nobis deferatur, titillatio carnalis e scientia suscitetur, & volu

ptatibus litetur, & quæ his similia : sed potius in hoc rerum statu conscientiam excutiendo deprehendimus : quod talentum à Deo tributum acceperimus ; ideoque cogitare nos oporteat, quomodo sit administrandum ; quomodo omnes animi nervi intendendi, ut gloriam divinam etiam in minima cognitione celebremus, salutem proximi promoveamus, nosmetipsos abnegemus, adeoque in isthac cordis qualitate statuque voluntatem divinam expleamus. Quod si à tenera aetate ejusmodi manu ductio accedat, fidelesque admonitiones Præceptoris fidei animo imprimantur: nonne progressu temporis hæc salus ac beatitudo maxima grati animi significatione agnoscitur? omnino, eo quod in capiendis omnibus doctrinis à teneris quasi unguiculis animam, sceleris puram, retineamus, & omne, quicquid actum verbis, opereve perfectum, in nomine Jesu agamus, atque ita jugiter omnibus actionibus hunc scopum intendamus, ut in vitæ sanctimonia, viventes Deum omni modo celebremus. O si hæc omnes omni in statu secundum conscientiae dictamen probe expenderent, quantum *benedictionis ac salutis* in rem publicam derivaretur! Nullus enim Princeps, Magistratus, Præceptor, imo ne unus quidem inveniretur, qui non assidue cogitaret, sibi de omni, quod non ignoraret, rationem esse reddendam : imo de omni scientia, omni talento, ejusque quantitate sibi rationem esse reddendam. Extremum enim judicium oculis & animo semper obversaretur, cujus vox intonaret : Tecum cogites, mi homo, in quem finem dona Intellectus & Voluntatis tibi tributa acceperis!

Hoc

Hoc merito primum omnes *Patroni tam Ecclesiarum quam scholarum* iusta mentis trutina examinent. Munus eorum atque officium non tantum in eo consistit, ut, quid in scholis ac ecclesiis agatur, & quali methodo juvenes pariter & senes instituantur, explorent: Sed totius rei cardo in eo primario vertitur, ut circumspiciant, *quosnam & quales* tam gravi, angelicis humeris tremendo, officio præficient? an personas infinitæ lectionis, stupendæ eruditionis, sed exiguæ aut nullius conscientiæ, vulpinæ fidei ac perversissimæ vitæ affectent? Non est, quod hic quispiam obtundat: futura ætas dabit meliora, qua animus ad frugem se applicet? sed quam periculosa hæc sit sententia, canon medicinalis probat, qui & hic valet, ut primæ concoctionis vitium haud facile emendatur in secunda, ita primus Magistratus cujuscunque ordinis error difficile in provectiore ætate corrigitur.

Colla canum veterum nolunt assvescere loris. Hæc est illa clades, hæc calamitas, quæ in hac inversa doctrinæ methodo *Christianam hactenus rempublicam* afflicta vit, cujus damnum illi optime intelligunt, quorum interest informationem ad præscriptum divinum institui. Nec minor eorum habenda est ratio, qui *scholastica vitæ* conditionem amplexi sunt. Si Sacerdotum causa coram Deo non est de nihilo, nec Præceptorum. His incumbit, ut prudenti consilio, atque subacta sapientia hortulanorum instar tenellos ramusculos Ecclesiæ Christianæ seminario inferant atque salutari scientiæ liquore rigent. Væ illis, qui viros strenuos,

magis in absumendis scholasticorum bonis, quam in eorum ingeniis doctrina & virtute excolendis se præbent, & munus suum temere, improbe, nulla ratione conscientia habita administrant. Iis ipsis expedit meminisse, quod Cornelius Nepos Attico suo summæ laudi ducit, ut hujus ethnici exemplo (eheu in Christianos dictu indignum!) *prius se, quam alios fingant, ne qua in re jure plectantur.* Cujus autem conscientia ipso DEO judice est confirmata, se ad exemplum *Pauli & Apollos* plantare & rigare, is non attendat, quid vulgus blateret, malevoli susurrent, sed quid dictamen illuminatæ mentis & rectæ conscientia, imo & sana consilia Superiorum velint. Modo sit perpetuo intentus, ut, quicquid dictitet, explicet, aut inculcet, non nisi cum timore & tremore cor eo feriat sanctificandum. Eo enim tota cum discipulis referenda est conversatio, ut non tam scientiam imbibant, quam rectum vivendi propositum acquirant; nec tam disputare, quam recte parere & obsequi, doceantur; ita ut per totum vitæ curriculum dedecus omne, flagitium, & ignominiam magis quam Scyllæ & Charybdis scopulos devitent, quoniam, teste Horatio, recte *occupat nomen beati, qui pejus letho flagitium timet.* Qua de causa *Lacedæmonii* juventutem suam ita formarunt, ut nullum mortis periculum ad effugendam infamiae maculam extimesceret. Quod si hunc scopum Præceptor in discipulis obtinet, dimidiam, imo fere exiguum laboris & molestiarum, partem scholasticis exercitationibus impendit, & tamen

tamen secundante labores benedictione cœlesti profectibus juvenus alitur, ornatur & coronatur. Quæ sane ratio ut verissima, ita non sine quadam voluptatete animum permulsi meum, quod legi, nescio quem Imperatorem interrogatum, quænam felicitatis Romanorum causa esset, qua ad tantam amplitudinem excrevisset, & diu satis in summa prosperitate mansisset, respondisse, *non legiones, non classes, non opes innumeras, non amicorum subsidia, non auxiliares sociorum copias, æque firma esse reipublicæ munimenta, ut promptum & alacre civium erga Magistratus obsequium. Quod & Lacedæmonii de se prædicarunt, dicendo: Se solos inter Græcos bene parendo & obsequendo virtutem imperandi meruisse.* Quibus docuerunt, omnium virtutum causam esse proximam, si juvenus à teneris unguiculis recte parere & obsequi discat. Atque ita se habet conditio & status hominum, qui si erigendus est, opera detur, ut errores summa industria extinguantur, & pietatis simulque morum integerrimorum ratio potior habeatur. Ubi hæc est summa, ibi reipublicæ salus nascitur, & scholarum verum incrementum.

Ad vos tandem, *Parentes carissimi*, me converto, quibus à DEO severe injunctum est, ut, quoad potestis, vestrorum liberorum rationibus prospiciatis & consulatis. Hortor itaque atque oro vos per viscera JESU CHRISTI, Judicis nostri venturi, inclinatis rudis ætatis rebus in tempore provideatis,

& nimiam fiduciam de vestris liberis à vobis amoveatis. Per quæ enim vestigia nos incedimus, est trames, à Summo Duce nostro præfinitus & præfixus. Hunc ut vos quoque feliciter ingrediamini, DEUM implorare ne intermittite, ut illuminatis mentis oculis intelligatis, quo ordine & qua via in informatione procedendum sit. In multos enim juventutis corruptores incidimus, quos tamen *B. Lutherus* gravius peccatum committere, quam si virginem corrumperent, quam verissime docuit. Has igitur errorum fyrtes ut eo facilius declinetis, in memoriam revocate, quæ *Schoneus* in *Naamane Terentii sui Christiani* vestræ & vestrorum incolumitati animo amico consulit: *Cuius*, inquit, *sedulo, quæ in rem tuorum fore sperat, consulenti, aurem benigne præbeas, tecumque cogites, non semper illorum consilia optima esse, qui non nisi magno nobis suam vendunt industriam, sed eorum potius, qui nullius premii spe, aut lucri illecebra adducti, ex animo consulunt.* Præterea cavete canes invidos juxta *Apostoli Pauli* monitum, *Phil. 3. v. 2.* Cavete malos operarios, cavete & sycophantas & fufurriones, qui veritatis & charitatis formam præ se ferentes, ceu angves in herba latent, & invidia correpti, livore excæcati, destruunt restituenda, suarum virtutum & laudum apud omnes soli cantatores, & scientiæ suæ jactabundi, & fimavis inusitata voce, *Thrasonici* venditatores. His nec injuria, *Christi* comminatio *Matth. 23. v. 13.* occinitur: *Vae vobis Scribæ & Pharisei, hypocrite, quoniam clauditis regnum cælorum (scholarum) coram hominibus: Vos enim*

enim ipsi non introitis , (ut convertamini ut pueruli
juxta c. 18. v. 3.) nec introeuntes finitis introire.
Vos enim estis homines illi ipsi , quos laudatus
Schonaeus prologo Tobai graphice depingit , qui aliorum
semper improbant industriam , & in canum mordacium
morem bonorum diligentiam suis conviciis diſſectis
subinde lacerant. Quorum ut minus nos commoveat
procacitas , ingenuorum & proborum candor & humani-
tas facit. Nam veluti a laudatis viris laudari pulchrum
gloriosumque est : ita à malevolis culpari , aut illud pul-
chrum arbitramur. Faceſſat ergo iniquorum (factioſorum)
calumnia , qua nunquam gliscit , aut furit impotentius ,
quam cum ſe fruſtra niti intelligit : putes cicadam
alis correptam. Haſtenus Schonaeus. Sed manum
de tabula.

Placuit Divinae Providentiae , omnium noſtra-
rum & mearum rerum almae moderatrici , cui æ-
ternum ſint laudes dicatae , nec non Patronis meis
munificentiffimis & benigniffimis exacto annuo ſpa-
tio , ex quo in hac Wittſtochiensi ſchola Con-Recto-
ris perſonam ſuſtinui , mihi jam vacantes Rectoris
demandare habenas. Quod habuiſtis beneficium ,
Patroni ſumma mihi obſervantia colendi , mihi præ-
ſtituiſtis permagnum. Etenim cum non exiguo clien-
tum numero fueritis circumfuſi , tamen me præ-
ceteris dignum cenſuiſtis , quem Collegii veſtri
ſuffragiis ornaretis , quem novi faſces & nova pro-
vinica honorarent. Quod cum penitus mecum
meditor , mearum partium puto , ut jam prædicem ,

C

570 quam

quam liberalitatem & munificentiam hucusque,
à Vobis sim frequenter expertus. Vos me peregrinum
benigne suscepistis, susceptum omni favore
& benevolentia aluistis, alitum novis meritis, pu-
blicas gratiarum actiones superantibus, cumulastis.
Quapropter gaudeo, Patronos me nactum esse,
tam commodos & benignos, & inprimis eum,
quem ego quidem in vita vidi optimum, qui,
quemadmodum omnes probos maximi facit, facti-
osos vero & malevolos detestatur, ita me quoque
fovet, amat, ornat, conservat constanter. O Deus
Summe, qui beneficia largiter te compensaturum
promisisti, dissolve etiam debitum meum tua be-
nedictione quam copiosissima, & imple promissio-
nes tuas, quæ in Libris præsertim Mosaicis in fa-
vorem alienigenarum passim conscriptæ leguntur!
Deinde non ab re fore existimavi, si sub ingressum
trium Collegarum inaugurandorum delati muneris
functionem prius, quam aggrederer, probe exa-
minarem. Est negotium, uti constat, omnium
periculosissimum, & maxime arduum. Quid
enim est, quod gravius dici possit, quam tot ho-
minum salutem procurandam suscipere, quorum
jactura antistitis morte & damno est resarcienda?
Hinc ut Præceptoribus & Parentibus veram &
genuinam informationis methodum prælibatam ob
oculos poneremus, *Momenta*, quæ utrisque curæ
sint, *præcipua* indicasse, consultum duximus. Hoc
speculum in officio nostro semper consulemus, ad
id semper recurremus, quoties labores scholasti-
cos

cos tractabimus, & ita salutem adolescentulorum providemus. Scopus enim noster præcipue in eo versabitur, ut non minus pietatem & mores integerrimos, quam literas & scientias Deo juvante juvenus imbibat, & in disciplina ac admonitione ad Dominum, i. e. ad hujus & futuri seculi salutem educetur.

Quod ut feliciter cedat, & Spiritus S. gratia larga & effusa futuris exercitationibus scholasticis benigne adsit, Deum nobis suppliciter enixeque, jugiter implorandum esse intelligo. Cum vero *Vir maxime Reverendus atque Clarissimus, Dominus M. GEORGIUS FRIDERICUS WILLIUS, Ecclesiarum & scholarum hujus Diæceseos Inspector spectatissimus, Patronus debito honoris cultu prosequendus*, crastinum diem indici voluerit, quo provincia tradita nobis publice confirmetur, partes sustinendæ injungantur, atque ita habita oratiuncula *de recta Liberorum educatione* demandatum munus solenniter suscipiamus atque ingrediamur, Vos Honoratissimi omnium ordinum PATRONI, FAUTORES, AMICI, submisso, decenter & instanter rogo, ut crastina luce circa nonam antemeridianam in Auditorio nostro Majori adesse, & dicentibus propensas cum mentes, tum aures indulgere non gravemini. Ita lætabitur, ita gloriabitur in Wittstochiensibus præsens collegium scholasticum;

Vos in solidiora literarum incrementa pronos esse,
& benevolos scholæ, atque in schola docentium,
pariter & discantium PATRONOS, FAU-
TORES, AMATORES. Ita quisque vestris
satisfactorius desideriis, unice elaborabit, ut man-
dato munere fungatur, & fugiat ceu pestem τὴν
πολὺπραγμοσύνην. Sanctifica nos, o Deus, in Veri-
tate tua, Verbum tuum est Veritas. P. P. Witt-
stochii, d. 7. Decembr. qui erat dies
solennis pœnitentialis, A. R. S.

1712.



